

Hæc omnia apud Dominicum Martyre in suo laudato M. S., in Minimorum Patrum bibliotheca Romani Collegii Sancti Francisci de Paula asservato, leguntur.

Sed ut veritati locum demus, iisdem libenti animo assentiri non valemus. Oportebat nanque Martyrem quoque ostendere, quod tempore illo, quo Decemviri a Brutianis percussi dicuntur, vicus ille Urbis Brutianus campus diceretur. Quod si hoc nomen posteriori ævo sortitus est, nihil ad rem facit; quia non poterant tunc temporis Lictores ex nomine, quod non exstabat, Brutiani appellari. Hoc autem Martyr non probat; immo nec probare poterat, quia non erat tunc in Mundo natio, ex qua tempore illo poterat præfactum nomen desumi. Si enim tunc temporis Brutii in rerum natura non erant, quare Brutianorum nomen, quod a Brutiis derivatur, poterat in Romana Urbe eodem tempore audiri?

Cogitavimus nos, potuisse fortassis Campum illum Brutianum dici a Gente Bruta, in urbe nobilissima; cuius gentis fuit Junius ille Brutus, Romanæ libertatis asserptor, Tarquinii superbi, ultimi Romanorum regis, temporibus; & ille alter Marcus Brutus, qui, Julii Cæsaris morte, Romanam libertatem, jam labentem, procuravit, quanvis in cassum, restituere. Hoc tamen a Martyre non asseritur; & nos absque testimonio dicere non audemus. Cæterum de hoc inferius redibit sermo; & tunc latiori quidem calamo, atque firmiori tractabitur. Et quia Brutorum gens ante Decemviros fuit, hinc non immerito ab illa potuit campus ille Brutianus dici, incolæ Campi Brutiani vocari, & Decemviri a Brutianis perculti.

Quod si his Legentes non acquiescent, quid sane di-